



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Casus quos Regularium Superiores sibi reservare possint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

§. 9. Casus quos Regularium Superiores sibi
reservare possint.

Quoniam reservatio Casuum debet esse pru-
dens & moderata; & deceat eam maximè
versari circa peccata externa, graviora, & o-
pere consummata: hinc Clemens VII. statuit
à Regularibus reservari posse Casus qui hic se-
quuntur.

1. Apostasia à Religione, etiam retento ha-
bitu. 2. Nocturna, ac furtiva à monasterio
egressio. 3. Veneficia, incantationes, & sor-
tiligia. 4. Proprietas contra votum paupertatis,
quæ sit peccatum mortale. 5. Furtum
mortale de rebus monasterii. 6. Lapsus carnis
voluntarius opere consummatus. 7. Juramen-
tum falsum in iudicio legitimo. 8. Procuratio,
consilium, vel auxilium, ad abortum fætus a-
nimati, etiam effectu non secuto. 9. Occisio,
vel vulneratio, seu gravis percussio cujuscum-
que personæ. 10. Falsificatio manus vel sigilli
officialium monasterii. 11. Malitiosum impe-
dimentum, retardatio, aut apertio litterarum
à Superioribus ad inferiores, vel contra.

Plures Casus non vult reservari sine consen-
su Capituli generalis pro tota Religione: vel
Capituli pronuncialis pro provincia. Priores
undecim Casus nos, & Ordines plerique actu
reservant, & memoriæ causâ ad hos versiculos
aptè rediguntur.

*Sortilegus, Proprius, Nocturnus, Apostata, Furtum,
Luxurians, Ladens, Falsarius, Impediensque
Scribentem ad partem monachum, Perjurus, Abortus.*

TRAC